



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Item de commixtione animalium. xxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

deaceo ad vesperam reficiatur. Post hæc aliis sex mensibus sub senioris spiritalis custodia segregata in curtis degens, operi manuum & orationi sit intentus, vigiliis & feris subiectus, & sub custodia semper duorum fratrum ritualium ambulet, nulla priuata loquutione, vel consilio deinceps iuuenibus coniungendus.

De eadem re. Cap. XXXVI.

Ex dictis S. Isidor. **S**I quis ex iuuenibus vel aliqua suspiciosa persona cum paruulis iocatus fuerit, diuturna pœnitentia maceretur.

De eadem re. Cap. XXXVII.

Ex dictis eiusdem. **S**I deprehensus fuerit aliquis frater ludere cum pueris, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commoneatur, si memor sit honestatis, atque timoris Dei. Si non cessauerit, seuerissimè corripatur.

Item de commixtione animalium. Cap. XXXVIII.

Ex pœnitentia i Romano **S**I quis cuiuslibet animalis commixtione peccauerit, in annis in humilitate subiaceat ad Ecclesiæ ianuam. Post hos aliis quinque annis in orationis communionem acceptus pœnitentiam agat, & sic gratiam sacramenti percipiat. Interrogentur autem alii de eo qualem vitam in pœnitentia egerit, & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens vxorem peccato succubuerit, xxv. annos humilitati subiaceat, & quinque annis in orationibus, & sic communicet.

De episcopo qui secundum naturam fornicatus fuerit. Cap. XXXIX.

Ex pœnitentia i Theodo. **I**TEM in canone apostolorum iudicatur vt episcopus, presbyter, diaconus qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communionem perdet: quia nõ iudicat Deus bis in idipsum. Si quis pontifex fornicationem fecerit naturalem, synodus indicauit vt quatuordecim annos pœniteat, & multis lachrymis & elemosynis veniam à domino petat. Presbyter non prælato monachi vel to cum puella vel meretrice peccans, annos tres, & in tribus quadragesimis secundam, & quartam, & sextam feriat, & sabbato semper de sicco cibo pœniteat. Si cum ancilla Dei, aut masculo, plus addatur ieiunium id est, septem annos, si in consuetudine est. Similiter diaconi, si monachi